



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Consensus Veteris Et Moderni Papatus

**Reck, Johann von der
Monasterii Westphaliæ, 1722**

XVII. De Jejunio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68472](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68472)

XVII.

De Jejunio.

S. Ignatius Martyr epist. ad Philipp. Festivitates ne dehonestetis : quadragesimale jejunium ne spernatis : continet enim imitationem conversationis Dominicæ.

Et mox : Jejunare quartis & sextis feriis ne negligatis, ciborum reliquias pauperibus elargientes.

S. Clemens Romanus lib. 5. const. Apostol. c. 12. Post quos dies servandum vobis est jejunium quadragesimæ, quod vitæ Christi & legis latæ recordationem continet.

S. Hieronymus lib. 5. const. Apost. c. 13. Nos unam quadragesimam, secundum traditionem Apostolorum, tempore nobis congruo jejunamus.

S. Ambrosius serm. 34. Bonum est quidem cunctis temporibus jejunare : sed melius, quadragesimam jejunare cum Christo. Hanc enim quadragesimam nobis Dominus suo jejunio

con-

consecravit. Quisquis ergo christia-
nus consecratam jejunando non im-
pleverit quadragesimam, prævarica-
tionis & contumaciæ reus tenebitur,
quòd legem divinitus pro salute sua
datam prandendo ipse rescindit. Re-
scindis enim legem, qui exemplum
jejunii Domini non custodis.

*Item Epist, 82. ad Ecclesiam Verceb-
lensem.* Audio enim homines, qui
dicunt nullum esse abstinentiæ meri-
tum, nullam frugalitatis, nullam vir-
ginitatis gratiam, pari omnes æsti-
mari pretio, delirare omnes, qui je-
juniis castigant corpus suum, ut men-
ti subditam faciant. &c. *Et mox.*
Quæ istos Epicuræos nova schola mi-
sit? *Et infra:* qui sunt ergo hi præ-
ceptores novi, qui meritum exclu-
dant jejunii? nonne gentilium vox
est ista dicentium, manducemus &
bibamus?

S. Augustinus Epist. 119. c. 15. Qua-
dragesima sanè jejuniorum, habet au-
thoritatem & in veteribus libris ex

jejunio Moyſi & Eliæ , & ex Evan-
gelio , quia totidem diebus Dominus
jejunavit. *Et paulo poſt.* In qua er-
go parte anni congruentiùs observa-
tio quadrageſimæ conſtitueretur , niſi
confini atque contiguâ Dominicæ
paſſioni ? quia in eâ ſignificatur hæc
vita laborioſa , cui opus eſt conti-
nentia , &c.

*Item in libro de fide ad Petrum (qui
ab aliis S. Fulgentio adſcribitur) c. 42.*
Firmiſſimè tene , & nullatenus dubi-
tes , omnem creaturam Dei bonam
eſſe , & nihil rejiciendum , quod cum
gratiarum actione percipitur : & Dei
ſervos , qui à carnibus aut vino ab-
ſtinent , non tanquam immunda , quæ
à Deo facta ſunt , reſpuere ; ſed à for-
tiore cibo & potu pro ſolâ caſtigatio-
ne abſtinere.

*S. Chryſoſtomus , ad populum Antio-
chen. homil. 73. de ſancta quadrageſimæ
jejunio ita ſcribit :* Hæc nunc dico ,
non ut veſtram contriſtem charita-
tem ; ſed ut excitem , & perſua-
deam ,

deam, ne temerè corpus intendat jejunio, nec inutiliter & incassum sanctæ dies quadragesimæ transcurrant. Et quid dico, sanctæ dies quadragesimæ? cùm ne unum quidem diem toto vitæ nostræ tempore nos transgigere liceat [si fieri potest] quo non aliquid spiritualis lucri nobis reponamus, vel per orationem, vel per confessionem, vel per beneficentiam, vel per aliam spiritualem quampiam actionem.

X V I I I.

De Confessione & absolutione Sacerdotali.

S. Clemens Romanus Epist. 1. Quod si fortè alicujus cor, vel livor, vel infidelitas, vel aliquod malum ex his, quæ superius memoravimus, latenter irrepsit; non erubescat, qui animæ suæ curam gerit, confiteri hæc huic, qui præest, ut ab ipso per verbum Dei, & consilium salubre curetur, quò possit integrâ fide, & ope-